



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Vincentivs C. 5. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Testamentum facere esset oblitus, Dixit ergo heredes omnium pauperes, & te quoque inter hujus testamenti executores hodie cupit habere. *Ex Metaphr. apud Surium.*

Navicula Christi nunc tollitur ad calum, nunc in trepidationum ima descendit: nunc Christi regitur viribus, nunc formidine jactatur: nunc operitur fluctibus passionum, nunc confessionum remigijs enatat. Sed nos iterum atq; iterum clamemus Domine salva nos; Perimus. S. Chrysol. serm. 20.

S. VINCENTIUS C. 5. Aprilis.

SANCTUS VINCENTIUS antiquâ Ferrerorum familiâ in Hispaniâ natus, primis statim annis documenta edidit Magisterii pietatis, quod vir exercuit, jam puer inter pueros Magnus Orator. Ea initia egregiâ indole ac literarum eximio profectu fecit auctiora, omnem libertatem pertasus, quæ levitatem oleret. Ingressus S. Dominici familiam, & Christi aspectu, morbo levatus, ejus imperio populos ad poenitentiam evocare institit, tam strenuè quidem, ut satis constet Iudæorum viginti quinque millia, totidem ferè Saracenorum, Christo ejus operâ conciliatâ; Christianorum centum viginti millia eidem reconciliata: publicis flagitijs infaniam quadraginta millia ad innocentiam reducta. Ardorem dicentis inde intelligas, quod capitalia ausos cum ad furcam comitaretur, oratione primùm effervescente, mox colliquescente, denique in cinerem exarescere coegerit felicissimo supplicio amoris extinctos. Tot spoliis Orco abactis triumphantem mirum non est, si Styx odit, & spoliare castitatis gemmâ contendit, quantum-

vis

vir irrito conatu, quod in Magnae Matris tutelam esset, quae suo pugili adstitit, & victorem rude donavit, in nos quoque exemplum repetitura, si cum VINCENTIO vincere vellemus. Acta olim furis mater, ac proli suae iniqua infantem in multas partes secuerat: has collectas vir sanctus integritati vitaeque restituit, post daemone etiam de morte triumphans, quae proinde obstruere viam huic sibi non potuit, quo minus ad caelum anno M. CD. XVIII. ferretur. *Ex Sur.*

Ad evitandas diabolicae pugnae molestias valenter assurgemus, si necessitatis ultimae periculum providè pertractemus: nam si repentinus ille atque terribilis adventus Christi perpeditur, quid erit in mundo, ubi mens humana delectetur? S. P. Dam. l. 1. ep. 19

S. IRENE. V. M. 5. Aprilis.

IRENE S. Anastasiae famulabatur, conditione, non item virtutibus Herae impar. Una cum duabus sororibus ad tribunal rapta est immitis Dulcitii, quodque magis timendum fuit, etiam lascivi. Profuit innocenibus, quod amor in furorem abiit, qui Dulcitium ad disuaviandas ollas impulit, quarum fuligine deformatus caecus amator, bacchatusque per urbem populo ludos praebuit. Sed neque cum denudari virgines mandasset, vestes corporibus eripi ullam vi potuerunt; pugnante proiis, & togas retinente mordicus pudore. Fornace deinde (Babyloniam dixisset) conclusae IRENE sorores, inter flammaram blanditias verius quam tormenta, mortem somni similem, illaesis corporibus, oppetierunt. IRENE vero ardentiores etiam ignes evasit; in lupanar quippe Veneris for-

H 4 nacem